

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1023

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

249

HERMENEUTICI.

250

*inertia pro fouit. De Autore adi
Fabric. Bibl. lat. edit. Ernest. T. II.
p. 29. Confer et Lessingii Sym-
bolas vernac. e Biblioth. Wol-
fenbut. I. p. 67.*

XCIV. VI. 131.

709 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 58. 4. inscribitur: *Anti — Politicus Regis Davidis Spiritus in Ferdinando II. Romanorum Imperat. semper Augusto &c. rediuius Pia Psalmorum Paraphraſi expressus, nec non ad Res eiusdem pro Ecclesia Dei præclare in Imperio gestas accommodatus. Paraphraſte J. W. J. C. Anno MDCXXXVIII. Psalmi sunt XX. primi interpolati ad modum, quem Specimen e Ps. IX. excerptum et hic adscriptum exhibet: In cædendo et conuerten- do inimicum meum Palatinum, Gabor, Danum, Suecum et Gallum retrorsum in terras suas: infirmabuntur cum rebellibus subditis meis, et peribunt, non a me, nec ab Exercitu meo, sed a irata facie tua.*

Quoniam tu solus fecisti iudicium meum et causam meam defendendam suscepisti: sedisti super Thronum qui iudicas et respicias non Rationem Status, sed iustitiam. Increpasti gentes, Bohemos meos, et periit impius Fredericus: nomen, famam, et honorem eorum, qui direxere, delesti in æternum, et in sæculum sæculi.

Inimici mei, Palatini defecerunt in prælio Pragensi, frameæ,

arma, et uires in finem, et ciuitates, ac terras eorum, qui militarunt ipsi, destruxisti et confiscasti.

Periit memoria eorum, Directorum cum sonitu, et tonitru bombardarum, et tormentorum in Monte Albo boantum et resonantium, et Dominus cum Ecclesia sua et fidelibus Seruis suis in æternum permanet.

Parauit iterum in iudicio thronum suum, et ipse, non ego, non Bauarus, non Tillius, non Cordua, iudicabit Durlachium, mox Halberstadium, post Mansfeldium, et instruet inde orbem terræ in æquitate: iudicabit populos, non in Ratione Status, sed in iustitia.

Atque haec satis ad formandum de Ceteris judicium. Quid si Literae I. W. Johannem Weingartnerum e S. J. Ferdinando a sacris Concionibus, et Literae I. C. non Juris Consultum, sed aut Jesuitam Concionatorem, aut Jesu Committonem tegerent? Sed nihil definio.

XCV. VIII. 29.

Codex membraneus lat. Sec. 378 XIII. Folior. 146. f. luculente scriptus, rubricisque decoratus inscribitur: *Incipit Prefatio. Honorii. in Cantica Canticorum. Initium: Donum. Sapientię. cum Salomone poscenti. a uero pacifico postulata consequi. Quia predecessori tuo beatę memorię. Uenerando abbatи C. (Cunoni) librum dauid utcunque explanaui &c. Ut in*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1023

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

251

C O D I C E S

252

Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1153.
 ubi totus hic *Honorii Presb. Augustodun.* qui non, ut ait *Fabric.*
Bibl. med. Lat. L. VIII. p. 277. circa an. 1300. sed in confinio
 Sec. XI. et XII. floruit, *Commentarius* legitur. In hujus Praef. fine pro, *sententias vero authoribus relinquens*, Noster habet: *sancctorum autoritati relinquens.* *Explicit Prefatio*, et mox sub titulo: *Honorius In Cantica Cantorum*, tota illa *Προλεγομένα*, quae in *Editis in tres Prologos distincta sunt*, nobis indivisa decurrunt. At vero sub finem totius Expositionis post ea verba: *brevi epilogo cumta repetamus*, nova nobis habetur *Inscriptio miniata*: *Repeticio Superiorum*, et linea magna litera capitali ceterisque majusculis orditur: *Hic. Liber. Ibi. Incipit. Vbi. Genus. Humanum &c.* Alia hujus Commentarii Exempla proferentur deinceps.

II. fol. 114. absque ulla inscriptione sequitur ejusdem *Honorii Opusculum*, de quo ipse sub finem praecedentis Operis: *Extat libellus a nobis editus. qui intitulatur Sygillum Sancte Marie in quo tota cantica specialiter adaptata sunt eius personæ.* Initium ejus est: *Optimo Magistro Librorum Registro. frequentia discipulorum &c.* Extat et hic Libellus in *Bibl. PP. T. cit. p. 1217.* et nobis alibi.

III. fol. 136. pariter absque ulla inscriptione ejusdem Opusculum, quod in ejus *Luminaribus Ecclesiae L. IV. c. 17. Neocos-*

mus de primis sex diebus, apud *Trithemium* vero n. 357. *Hexameron* dicitur. Edidit illud e *Cod. Gemnicensi T. II. Thes. Anecd.* P. I. p. 71. *Bern. Pezius*, qui in *Dissert. Isag. p. 6.* recte judicavit, laciniam illam de *Templi Aedificatione* illi praemissam non esse *Honorii*, nec hujus loci. Interim tamen et *Codex noster* illam ostentat. Genuinum itaque initium est: *Quia multi multa de primis sex diebus differuerunt &c.* E verbis illis: *Cui uero hoc placeat elucidario nostro in capite praefigat*, confirmatur Opusculum hoc ad *Honorium* pertinere; quamvis enim *Elucidarium* illud *Anselmo Cantuar. Guiberto Novigenito, Guilelmo Coventriensi Carm.* quin ipsi *Augustino* a Variis tributum sit, *Honorii* tamen esse cum e *Trithemio*, tum ex ipso *Honorio L. cit. de Luminarib. Eccl.* constat, ubi distincte memoratur: *Elucidarium in tribus libellis: pri- mum de Christo, secundum de Ec- clesia, tertium de futura vita, qui- bus, si e mente Autoris nostrum de Mundi creatione praefixeris, habebis quatuor concinno ordine. Finit: et homo inobediens cum mu- liere sue dampnationis in exilium intrare compellitur.*

XCVI. VII f. 16.

Codex membraneus lat. Sec. 472
 XII. Folior. 54. 4. probe exaratus, et rubricis distinctus contineat: I. *Honorii dicti Solitarii Presb. Augustodun.* breviores *Cantici Cantic.* expositionem, quam *Sigilum*